DE NEPHRITIDE ALBUMINOSA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM...

Annibale Bovio

DE

NEPHRITIDE ALBUMINOSA.

DE

NEPHRITIDE ALBUMINOSA

Dissertatio Inauguralis

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS
DIRECTORII, AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE
SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM
D. D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE CONSEQUENDIS IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE
DOCT. FRANCISCO FLARER
Therapiae et Clinices Oculariae P. O.

CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Martii anno MDCCCXLIII.

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

Bovio Annibal

TICINENSIS.

TICINI REGII
Ex Typis Fusi et Socii.

DE NEPHRITIDE ALBUMINOSA.

I. NOMINIS RATIO ET DEFINITIO.

Nephritidis albuminosae nomine usus est *Rayer* ad illum designandum morbum, in substantia renum corticali sedem habentem, quem primo descripsit et medicis indigitavit medicus anglus *Bright*. Nomen nephritidis albuminosae ideo adhibuit *Rayer*, ut morbi sedem et naturam primariam uno fere verbo indicaret. Morbi enim, de quo hic sermo est, sedes in renum substantia corticali et praeprimis in ejusdem glandulis *Malpighianis* existit: natura autem seu indoles morbi, in congestione sanguinea illius substantiae, in primo saltem ejusdem morbi stadio, consistit. Quod si serius congestio sanguinis evanescat, et illi variae organicae laesiones succedant, siva in corticali sive in

tabulosa renum substantia; laesiones hujusmodi effectus primitivae illius congestionis sanguineae habendae sunt.

Hic aliqui objiciunt (et praecipue *Valleix* (1) et *Becquerel* (2)), congestionem sanguinis non esse phlogosim, ideoque nephritidis nomen huic morbo minus convenire. Sed illis respondi potest, hoc quidem verum esse, si stricto sensu nephritidis nomen accipiant; non autem, si lato.

Appellationem *albuminosae* nephrititi addidit *Rayer*, ad characterem hujus morbi essentialem indicandum: est enim huic nephritidi fere proprium, quod urinae notabilem albuminae copiam in omnibus casibus praebeant.

Caeterum, varia huic renum morbo nomina imposita fuerunt, nephritide albuminosa minus convenientia: talia essent: hydrops a renum morbo (*Bright*), degeneratio renum granulosa (*Christison*), albuminuria (*Martin Solon*), morbus *Brightii*.

Primus qui hunc renum morbum descripsit, fuit, ut jam diximus, medicus anglus *Bright*: post illum, plerique inter Galliae

(1) *Archives générales de Médecine.* 1842. Tom. XV, pag. 305.
(2) *Semeiotique des urines.* Paris 1841, pag. 445.

et Angliae medicos, hanc medicinae spartam illustrarunt (1). In mea conficienda elucubratiuncula, observationibus *Becquerel*, in nosocomio Charitatis parisiensi collectis, usus fui. Ut autem morbi hujus symptomata et formae melius perspecta sint, anatomen morbi pathologicam praemittere studui.

II. ANATOMES PATHOLOGICA.

1.° *Morbi formae, seu gradus.*

Renes, nephritide albuminosa laborantes, multifarias laesiones preseferunt, quae tot morbi formas seu grados constituunt. Tres harum distinxit *Bright*; sex morbis formas posuit *Rayer*. Sed animadvertendum, hic sermonem minime esse de varietatibus aut speciebus unius morbi; verum de variis laesionibus quas renes praeseferunt, prouti nephritis in principio, incremento vel ultimo sui decursus stadio consideratur.

(1) Sequuntur nomina medicorum, qui de Nephritide albuminosa scripserunt. Brigh, 1827, Christison, 1829, Gregory, 1831, Spittal, Graves et Barlow, 1832, Elliotson, Darval, Copland et Tissot, 1833, Constant, Sabatier, Osborne, 1834, Monassot et Desir, 1835, Mateer et Forget, 1837, Willis et Martin Solon, 1838, Corrigan et Christison, 1839, Rayer et Becquerel, 1841.

En tres morbi formas a *Bright* distinctas. In *prima* forma, renes molliores sunt quam in statu naturali, et superficiem eorum externam nec non corticalis aliquam partem, coloris flavescentis praebent. Substantia tubulosa vividiorem colorem habet.

In *secunda* forma, substantia renum corticalis tota ferme granulosa apparet, interposita quadam materia coloris albescentis: renum volumen est adauctum, et granulationes ejusdem manifestiores per macerationem evadunt.

In *tertia* forma, renes inaequales sunt ad externam superficiem, et corpusculis flavis, rubris, purpureis hinc inde referti. Formam renes adipiscuntur fere lobularem: duri sunt et tamquam cartilaginei.

Accuratam magis nephritidis albuminosae descriptionem habet *Rayer*, qui sequentes illius formas distinxit.

Forma prima. -- Renum volumen adauctum est; eorum superficies externa colorem rubrum praeternaturalem, nec non punctula rubra numero plura exhibet. Substantia autem renum corticalis, praeter normam turgescens, eadem punctula rubra, ac superficies externa, praebet, glandulis *Malpighii* respondentia; quae quidem glandulae san-

guine injectae admodum sunt. Membranae autem tubulos urinarios, papillas et renum pelvim constituentes, eandem sanguinis injectionem praeseferunt.

Forma secunda. -- Renes turgent magis quam in antecedenti forma, et molliores sunt. Superficies eorum marmoris ad instar variegata est; nam hinc inde maculae rubrae, aliis maculis coloris ex albo flavescentis intermixtae conspiciuntur. Substantia corticalis coloris flavescentis est, nisi quod maculas aliquot rubras praebeat: substantia tubulosa e contra, colore intense rubro notatur.

Hae duae morbi formae ad nephritidem acutam prae primis spectant.

Forma tertia. -- Desunt maculae et adspectus variegatus, in antecedenti forma ad renum superficiem apparentes: substantia corticalis colorem fere uniformiter ex albo flavescentem exhibet, vel etiam pallidiorem.

Forma quarta. -- Renum volumen et pondus adaucta sunt: eorum externa superficies maculis parvis, colorem album lactescentem vel et flavescentem habentibus, notatur; haec superficies aequa et levia adhuc est. In substantia corticali, turgescente, granulationes manifestantur, ad papillas urinarias procedentes.

Forma quinta. -- Granulationes conspicuae fiunt sub renum membrana propria.

Forma sexta. -- In hac morbi forma, renes modo sunt volumine majores, modo minores quam in statu naturali. Duri sunt, et ad superficiem inaequales, tamquam in lobulos divisi. Maculae illae coloris lactescentis, quae in quarta aderant forma, disparuerunt; sed tantum a renum superficie, nam in substantia corticali aliquae earundem adhuc permanent.

Hae sunt praecipuae formae seu gradus, per quos nephritis albuminosa decurrit: praecipuas dixi; nam hujusce morbi gradus seu varietates numerosiores sunt quam quae describi possint.

Hisce praelibatis, quoad morbi formas, nunc investigandum restat, quommodo laedantur sive renum textura sive urina et sanguis.

2° *Plenior texturae renum investigatio pathologica.*

Ex anatome discimus, renes ex duabus componi substantiis, corticali nempe et tubulosa; corticalem porro, ex quibusdam corpusculis, glandulis *Malpighii* dictis (quas ad urinam secernendam dicatas facile credas)

et textu celluloso-vasculari, corpusculis jam dictis interposito.

In nephritide albuminosa primum laeduntur *Malpighii* glandulae, et secundario modo tam textus celluloso-vascularis, illis interpositus, quam substantia tubulosa.

Si substantiae corticalis renum examen, optimi perspicilli ope, institues, vides, in prima morbi periodo, *Malpighii* glandulas volumine adauctas, ob insignem sanguinis congestionem quae in illis locum habuit. Volumen adauctum glandularum *Malpighii*, in hac morbi periodo, manifestum etiam fit, si partem substantiae renum corticalis ebullitioni subjicias, sive in alcoole diluto, vel dilutione acidi nitri illam immittas. Hoc observare est in prima forma morbi, secundum *Rayer*.

In morbo provectiori, sanguinis congestio deest: glandulae *Malpighii* materia quadam flavescente infarctae apparent, quae materia nil aliud est nisi sanguinis pars albuminosa et fibrosa, substantia colorante carens. Materia haec albuminosa, in qua puris indicia omnino desiderantur (uti ab experimentis, ad hunc finem a Doct. *Becquerel* institutis, constet), primum mollis est et coloris flavescentis; deinde, progrediente adhuc mor-

bo, durior evadit et colorem albescentem induit.

Quod textum cellulo-vascularem spectat, ille varias mutationes, juxta varios nephritidis gradus, patitur. Primum quidem textus ille a glandulis *Malpighii* volumine auctis comprimitur, postea ab iisdem magis magisque adauctis fere ex integro deletur. Microscopium vasa illius obliterata et in textum veluti fibrosum mutata demonstrat. Si fluidum aliquod per sanguinea renis vasa injiciatur, illud vix *Malpighii* glandulas pertingit, quae imperfecte admodum injectae conspiciuntur; vasa autem renis minima fluido injecto sunt vacua.

Quae cum ita sint, nephritidis albuminosae tres tantum gradus statuit *Becquerel*.

In 1.° gradu, glandulae *Malpighii* ob sanguinis congestionem turgentes et grandiores apparent.

In 2.° gradu, glandulae illae substantia albuminosa, molliori et flavescente infarciuntur.

In 3.° gradu, substantia illa, glandulas *Malpighii* infarciens, colorem albescentem induit.

3° *Fluidorum mutationes morbosae.*

A. *Urina.*

In nephritide albuminosa hoc constantissimum observatur, quod urina aliquam albuminae copiam praebeat: albuminae autem quantitas variationes notabiles patitur, in variis casibus, ita ut *Becquerel* statuerit, quantitatis albuminae variationes esse interdum quemadmodum 2 : 40 (1).

In quibusdam casibus, urina quamdam sanguinis copiam continet, quod fere semper morbo ineunte observatur.

Commune etiam est in hoc morbo urinas observare anaemicas; quae scilicet minorem quantitatem habent illorum principiorum, quae in hoc fluido soluta permanent.

Quandoque urina characterem praesefert alcalinum.

B. *Sanguis.*

Experimenta a praeclar. *Andral* et *Gavarret* instituta docent, in sanguine eorum, qui nephritide albuminosa laborant, adauctam esse aquae copiam, et e contra copiam fibrinae, globulorum, et principiorum solido-

(1) De modo albuminam in urina detegendi, inferius sermo erit.

rum seri, praecipue vero albuminae imminutam fuisse. En synopsis experimentorum.

	In morbo Brightii simplici		In sanis.
Aqua	837, 1	——	790
Fibrina .	2, 7	——	3
Globuli	91, 8	——	127
Principia seri solida (albumina)	68, 4	——	80
	1,000, 00.		1,000.

In nephritide albuminosa, phlogosi alicujus visceris nupta, res eadem ratione se se habebant ac in nephritide simplici, nisi quod adaucta esset fibrinae quantitas; quod commune esse in omnibus phlogosibus, neminem latet post eorundem virorum experimenta.

An in hoc morbo sanguis ueream contineat, certo non constat.

Breviter expositis solidorum et fluidorum praecipuis mutationibus, quae in nephritide albuminosa contingunt, nunc variae illius formae et symptomata describenda erunt.

III. SYMPTOMATA ET FORMAE MORBI.

Nephritis albuminosa varias induit formas, prouti celeri vel lento passu decurrit, et prouti simplex vel aliis morbis acutis aut

chronicis nupta existit. Hinc quatuor morbi formas distinxit *Becquerel*.

1. *Forma acuta simplex*. — Quandoque cum cephalalgia, febricula, membrorum lassitudine morbus adoritur; alias aegri oedema membrorum inferiorum tamquam primum symptoma accusant. Rarius oedema in facie vel brachiis primo evolvitur. Hic autem textus cellularis hydrops modo lento procedit gradu, et levem adfectionem praebet; modo, tempore non valde longo, notabilem gravitatem adipiscitur. Hydropi textus cellularis saepe accedit sive ascites, sive hydrothorax, sive pulmonum oedema. Praeter hydropem, adsunt interdum diarrhoea, rarius vomitus. Febris nulla est, et ciborum adpetitus persistit.

In hac morbi forma, vel aegri sanitatem recuperant, evanescentibus paulatim hydrope et diarrhoea; vel in longiorem morbum, chronicum nempe, transeunt; vel e vita decedunt; quod quidem duplici ratione contingere potest, aut ob naturalem morbi progressum, vel accedente fortuito aliqua acuta phlogosi.

Hic animadverti debet, nephritidem albuminosam acutam appellare medici illam, quae etiam per duos menses durat; chro-

nicam vero eam, cujus duratio ad longius temporis spatium extenditur.

2. *Forma chronica simplex.* — Haec forma nunc morbo acuto succedit, nunc primum talis evolvitur: hydrops scilicet in principio manifestatur in artubus inferioribus, et levis satis diu perdurat, vel progreditur semper, sed paulatim et lento passu. Varius quammaxime est hujus hydropis decursus: interdum enim, absque causa, imminuitur, vel et penitus cessat; interdum de repente augetur: in omnibus tamen casibus, hydrope etiam cessante, examen urinae existentiam albuminae patefacit. In hac morbi forma, raro diarrhoea in nephritidis principio; saepius morbo jam provecto evolvitur. Aeger magis magisque viribus fractus et extenuatus, fato tandem cedit post aliquos menses, vel et annos. Haec nephritidis forma fere semper exitialis evadit.

3. *Formae complicatae.* — Nephritis albuminosa raro in homine perfecte sano evolvitur: plerumque morbus observatur in subjectis aliqua alia labe laborantibus, unde variae oriuntur nephritidis ipsius complicationes. Morbi, qui frequentius cum renum affectione albuminosa occurrunt, sunt phthisis pulmonaris, cordis laesiones organicae,

emphysema pulmonum, bronchitis chronica, hepatis cirrhosis, cancer ventriculi, etc.

Hisce complicationibus existentibus, praeter hydropes et urinam albuminosam, observanda veniunt etiam symptomata cuique morbo propria. Praeterea, adfectio renum nunc decursum acutum, nunc chronicum, et hisce in casibus, tenet.

4. *Forma latens.* — Formam nephritidis latentem nominat *Becquerel* eam, in qua hydropis indicia desiderantur. Aeger nullum alicujus morbi symptoma praesefert : sed tantum debilitatos et emaciatus apparet, nonnunquam cum colore faciei flavescente vel et diarrhoea. Ocyus vel serius, summa existente virium debilitate, soporosus perit. Hisce in casibus, qui sub scarlatinae vel phthiseos pulmonaris decursu etiam observantur, albuminae in urinis existentia unicum suppeditat nephritidis signum.

IV. CAUSSAE.

Nephritis albuminosa frequentius in Anglia quam in Gallia observatur. Si hydropicos, qui in nosocomio Edimburgensi recipiuntur in quatuor partes distribuas, tres partes eorum nephritide albuminosa laborare compe-

ris. In Galliae nosocomiis, ex 85 aegrotantibus, *unus* nephritidem albuminosam habet, si calculo *Becquerel* fidem praestare velis.

In sexu sequiori, morbus rarior est quam in viris: ex 223 nephritidis albuminosae casibus, a variis medicis collectis, 144 ad viros, et 82 tantum ad foeminas pertinebant.

Si 223 supradictos casus juxta aegrotantium aetates distribuas, quid faciat aetas, tamquam hujus morbi causa disponens, elucebit.

Aegrotantium	
Aetas	Numerus
Annorum 10 ad 20, fuere	19
» 20 — 30, —	51
» 30 — 40, —	72
» 40 — 50, —	54
» 50 — 60, —	24
» 60 — 70, —	19

Aetas ergo, quae maxime ad nephritidem albuminosam contrahendam disponit, est intra *trigesimum* et *quadragesimum* annum; huic succedunt aetates intra 20^{m} et 30^{m} annum, et intra 40^{m} et 50^{m}: minus disponunt aetates annorum intra 50^{m} et 70^{m}.

Quod ad morbi caussas occasionales attinet, medici fere omnes de noxio frigoris humidi et liquorum spirituosorum influxu loquuntur: sed, an reapse et frigus humidum et liquores plurimum valeant ad nephritidem excitandam, liquido non constat.

Verum evolutioni nephritidis albuminosae favent certo certius morbi quidam praeexistentes, vitia scilicet cordis antiqua, hepatis cirrhosis, pulmonum tubercula et emphysema, bronchitis chronica. Quorum quidem morborum agendi ratio communis in eo sita est, ut sanguinis congestionem in renibus inducant, quae fere ex integro primam nephritidis albuminosae periodum constituit.

V. DIAGNOSIS.

Unicum symptoma quod semper in nephritide albuminosa occurrit, est albuminae in urinis praesentia. Ad albuminam detegendam, duo auxilia in promptu sunt, ebullitio scilicet urinarum, et earum tractatio cum acido nitrico. Pro urinis acidis, optimum auxilium est ebullitio: si enim urinam acidam ebullitioni subjicias, illico observas liquorem turbidum fieri, et albuminam vasis fundum petere.

In urinis alcalinis vel neutris, et interdum etiam in acidis, ebullitio quandoque albuminam praecipitare non valet. Hisce in casibus, ad albuminam praecipitandam, sufficit addere urinis paucam acidi nitrici quantitatem.

In urinis alcalinis vel neutris, acidum nitricum unice, ad albuminae existentiam detegendam, opus praestare potest.

Quod si urinae albuminosae morbum nephriticum, de quo agimus, constanter comitautur, ex earum tamen praesentia adfectionis renalis existentiam arguere nequimus; urinae enim albuminosae, non modo in nephritide nostra, sed variis aliis sub circumstantiis observantur.

Circumstantiae, in quibus occurrunt observandae urinae albuminosae (excepta nephritide albuminosa), ad sequentes reducuntur.

1. Si sanguis et pus in urinis existant.

2. In morbis quibusdam acutis, febri stipatis.

3. In morbis, respirandi magnae difficultati conjunctis.

4. In quibusdam cordis adfectubus.

5. In hydrope, si insimul renes aqua infarcti sint.

6. In sano etiam homine.

Verum, si perpendamus, in supradictis circumstantiis, albuminem in urinis irregulariter tantum et parva copia apparere; si in mentem revocamus lentum nephritidis albuminosae decursum; si ad hydropis praesentiam fere constantem, diarrhoea non raro nuptam, attendamus; si demum virium debilitas et emaciatio (ut plurimum nulla praecedente febri) morbo nostro fere propriae, prae oculis nobis sint; in eam veniemus sententiam, quod nephritidis albuminosae diagnosis sat tuto plerisque in casibus instituti potest. Caeterum, nil mirum si aegre dignosci queat morbus, qui fere semper aliorum organorum nobiliorum morbis nuptus incedit.

VI PROGNOSIS ET CURATIO

Morbum saepenumero mortiferum nephritis albuminosa sistit. Ex 69 aegrotantibus, quos observavit Doct. *Becquerel*, 11 tantum, sive *sexta* circiter aegrorum pars, evaserunt. Si morbus decursum acutum teneat, sanabilis non raro est; si chronicum, sanationem vix et ne vix quidem admittit. Medicus Anglus *Osborne*, ex 36 hoc mor-

bo laborantibus, 27 ad sanationem perduxisse asserit; sed an morbus acutus vel chronicus illis in casibus fuerit, ignoramus.

Praestat summopere curationem incipiente adhuc morbo, etiamsi acuto, instituere; si enim provectior evadat, insanabilis fere semper observatur. In morbi principio, *Rayer* venaesectionem nec non hirudinum et cucurbitularum scarificatarum lumborum regioni adplicationem commendat. Hisce adminiculis, sanguinis congestio in substantia renum corticali facta, tollitur non raro; sed hoc in prima tantum morbi periodo locum habere potest: si enim glandulae *Malpighi* materia albuminosa infarctae jam sunt, tunc sanguinis detractiones fere nihil contra morbum praestare valent. Institutis jam dictis sanguinis detractionibus, conveniunt remedia quae cutis perspirationem promovent, quaequae alvum laxant. *Rayer* parvas etiam opii doses adhibendas suadet. Haec curandi ratio in nephritide acuta optime conducit, et etiam in nephritidis chronicae principio, dummodo acuitatis aliqua symptomata adsint.

Contra hydropes, quae nephritidem albuminosam fere perpetuo comitantur, varia remedia, praecipue autem purgantia drastica, diuretica, balsamica, frictiones mercu-

riales et joduratae proposita fuerunt; sed fructu vel exiguo vel nullo. De hisce itaque remediis liceat cum *Rayer* concludere: » La multiplicité des essais et la vanité des remèdes, qui ont' été successivement recommandés, n' indiquent que trop la fréquence des insuccès ».

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

1. Pulmonum tubercolosim quandoque licet raro sanabilem.

2. Remedia antiphlogistica nunquam syphilidem mederi.

3. Morbos congenitos ratione et experientia probari.

4. Chlorosim ab initio neurosim.

5. Pleuritidem dari posse absque pneumonitide.

6. Affectionem tubercularem non esse inflammationis necessarium effectum, sed in specifica alteratione organica sistere.